



1. Baumgarten / Siziim. Jac. / Diff. de prestantia Religionis revelatae pro naturali,
2. Bebelij / Balthaf. / Diff. de Civ. mortuis, Hale 1743.
3. Diff. de primogenitura ex mortuis rediivi domini nostri Jesu Christi Franc. / 1743.
4. Behm / Jth. / Diff. de Luceis a lectione Scripturae sacrae non arrendis Regim.
5. Claurwitz / Bened. Gottl. / Diff. de Antographorum Bibliorum jactura, rei Christianae et innocuae et utili, Hale 1743.

6. Academiæ Fridericiænæ programma
ad festas paschales, 1742.
7. ————— programma in festis pasch.
tercostalibus, 1742.
8. Forbigeri, Christ. Sam. Diff.
Situs desertorum Bethsaida ex
Evangelistis aliter quam vulgo
determinatus. Lipsiæ, 1742.
9. Hebenstreit, Joh. Chr. Diff. ex Malb.
Mun. Cap. III. v. 13. Lipsiæ 1742.
10. ————— Diff. de Cynosarge Gymna.
Lipsiæ 1742.
11. ~~Joh. Pauli~~ Diff. de Natura Scandalii,
Jenæ 1708
12. ~~Joh. Pauli~~ Diff. de Legibus
Ecclesiasticis, Jenæ 1698.
13. Klunfing, Henr. Diff. de tempera.
mento justitiæ et misericordiæ
divinæ in Christo, Lipsiæ 1742.
14. Academiæ Lipsiensi programma
ad festas pentecostales, 1738


15. Klemmij / Joh. Chr. / diff. De
 peccato et de gratia, Tubingæ
 1742.
16. diff. de Ecclesia et de
 Sacramentis, Tubingæ 1742.
17. Korthold / Chr. / diff. de Religione
 Muhamedana, Rostochi 1663.
18. de Krakewitz / Alb. Joach. / diff.
 de Nummo necessitatis, Rostochi
 1711.
19. diff. de excommunicatione
 Ecclesiastica, Rostochi 1709.
20. Messerschmid / Joh. Henr. / diff.
 ex Matth. vi. v. 12. Lipsiæ 1742.
21. Michaelis / Chr. Bened. / diff. qua
 Nomina, Numerus, divisio et
 ordo Librorum Sacrorum Veteris
 Testamenti sistuntur, Huld 1748.
22. Nonnen / Nici. / diff. de Canonica
 Autoritate Cantici Canticorum,
 ultrajcti 1725.
23. Niemeieri / Joh. Barthol. / theologia
 moralis, Helmst. 1646.
- * 32. Wegner / Godof. / Animadversiones in jus
 Canonicum, Lora f. Sacre ~~Scripturae~~ ~~Scripturae~~
 allegatae concernentes, Regiement,
 1644.

24. *Officiori* / Joh. Adams / *Diff. de*
allegatiōe Jeremie in *Diff. de*
Cap. XXIII v. 9 et 10 facta, *tubingæ*
 1792.
25. *Pfaffij* / *Christoph. Matth.* / *Diff.*
in oraculum Cholsii *atrop.*
estote prodi numeralarij, *tubingæ*
 1792. *tubingæ* 1792.
26. *Diff. de Deo* *tubingæ* 1792.
27. *Rückeri* / *Sizerra* / *Diff. de*
dono Linguarum *in vict. officio*
Religionis Christianæ *Argumento*,
Lipsiæ 1792.
28. *Academ. Lipsienfis* *programma*
ad sacra preterostata, 1792.
29. *Stenleri* / *Dav.* / *Diff. de paulo*
Nomen Christi *in* *conspetum*
Regum portante, *Lipsiæ* 1792.
30. *Thumij* / *Theod.* / *Diff. de*
Sazarum *in pietate*, *tubingæ*.
31. *Ticemanni* / *pub. Joh.* / *Diff. de*
personis sacris sub lege, *merburgi*
 1691.
33. *Weismanni* / *Chr. Eberh.* / *Diff. de*
inter Christianos ex prouture
sententia *Deo abominabili*,
tubingæ 1792.

34 Weirmanni f. Mr. Burk / Diff. Deus
tentari et tentare nescius, tubin.
90 1792.

35 Weirckelmann f. Joh. / Diff. De
jure vocandi Ministros Ecclesie
Lipsie 1609.

36 Remeri f. Joh. Chr. / Diff.
ex Isaiam LIII. v. 4. Lipsie 1792.



8
SITVS DESERTORVM BETHSAIDAE
EX EVANGELISTIS
ALITER, QVAM VVLGO, DETERMINATVS

AD
VIROS
CLARISSIMOS DOCTISSIMOSQVE
IOHANNEM GODOFREDVM
STRAVSSIVM
PHILOS. BACCAL. ET S. THEOL. CVLT.

GOTTLIEB ROBSTIVM
S. THEOL. CVLT.

IOHANNEM CHRISTOPHORVM
HEINIVM
S. THEOL. CVLT.

SVM MOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. VIII. FEBR. A. R. S. MDCCXLII.

DIGNISSIME CAPESENTES

AVCTORITATE

COLLEGH EXAMINATORIO-DISPVTATORII
DEYLINGIANI

AVCTORE
M. CHRISTIANO SAMVELE FORBIGERO
S. THEOL. CVLT.

LIPSI AE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

SITVS DESERTORVM BETHSIDAE
EX EVANGELIIS
AD
VIRVS
CLARISSIMOS DOCTISSIMOSQVE
IOHANNEM GODOFREDVM
STRASSIVM
PHILOSOPHVM ET THEOLOGVM
GOTTLIEB ROBSTIVM
S THEOLOGVM
IOHANNEM CHRISTOPHORVM
HEINIVM
S THEOLOGVM
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN ACADEMIA ERSINGI
D. VIII. MDCCLXXII
PRINCEPS CAESAREVS
AVGUSTATE
COLLEGI EXAMINATORIO DISPUTATORI
DELLICIA
M. CHRISTIANO SAMUEL FORBICERO
S THEOLOGVM





B. C. D.



Si vnquam sacris in litteris, quibus VOS LIT-
TERATISSIMI CLARISSIMIQUE
VIRI, studeatis, nodi occurrunt, illi sane in geo-
graphicis non sunt minimi, plerumque tamen, vt
equidem arbitror, ex ipsis quoque sacris paginis soluendi. Eius-
modi fere est difficultas illa *de situ desertorum Bethsaidae*, quo
figendo interpretes et philologi varii varie desudarunt. Operae
itaque pretium puto, faciundi periculum, an ex ipsis sanctis Euan-
gelistis situm huius deserti agri possim determinare, aliorum ta-
men non plane neglectis iudiciis. Mentio vero huius deserti lo-
ci fit apud Lucam Cap. IX. comm. 10. qui in eo est, vt locum
nobis designet, quo Seruator Optimus annunciata Iohannis mor-
te secessit, quoque miraculum illud insigne cibando quinque mil-
lia virorum quinque panibus et duobus piscibus perpetravit:
*ἄπερχόμην, inquit, κατ' ἰδίαν εἰς τόπον ἔρημον πόλεως κέ-
λευμένης Βηθσαϊδά.* Ad pleniorē itaque huius narrationis co-
gnitionem, accuratiorēque situs desertorum determinationem
cum alia quoque oppida intellectu necessaria videantur: omnem
hancce descriptionem ita dispescam, vt et de loco, a quo Christus
secessit, et termino, ad quem terendit, pauca disseram.

IV

Ad cognitio-
nem deserto-
rum Bethsai-
dae, quo abiit
Iesus, certus
esto terminus
a quo

ille non est Ca-
pernaum.

nec est Beth-
saida.

De termino ergo, a quo profectus est Christus, alii interpre-
tes nihil definiunt certi, cum tamen sine illo vix constabit de ter-
mino ad quem directa fuit profectio. Sic enim ISAACVS CA-
SAVBONVS in *exercitationibus de rebus sacris et ecclesiast.* aduer-
sus BARONIUM (vbi auctor est CALOVIUS bibl. illustr. ad
Matth. XIV, 13.) *ἀνεχώρησεν*, inquit, *ἐκείθεν*: unde? *an e patria*
sua, ad quam ille dicitur venisse supra Cap. XIII, 54. Marc. VI, 1.?
an potius ἐκείθεν i. e. ex illo loco, quo erat, quando mors Ioh. Ba-
p̄tistae ei est annunciata? Et responsonem reticet. Nihil ergo
certi de loco, ex quo secessit, definit. Simili quoque ratione
nihil ponit indubii IOH. COCCIVS in *opp. anecdotis tom. II.*
pag. 481. ad Cap. VI. Ioh. Alii contra definiunt, sed iterum in
duas partes abeunt. Non nulli enim terminum a quo constituunt
Capernaumum, alij autem Bethsaidam. Inter eos, qui Caperna-
um statuunt, excellet LIGHTFOOTVS in *Hor. Ebr. ad Matth.*
XIV. a quo etiam CALOVIUS ad *b. l.* non alienus videtur, li-
cet nihil expressè dixerit. Sed mera est haec coniectura nullis
superstructa rationibus, hanc tantum ob causam assumta, vt ver-
ba Iohannis Cap. VI, 1. *πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας* eo
melius explicare possent, quae proprie a plaga maris occidentali
versus orientalem accipienda esse censet GROTIUS *comment. ad*
b. l. Verum vt taceam, hanc significationem particulae *πέραν*
non solam esse et propriam, (quod infra pluribus dicitur) vt ta-
ceam, terminum ad quem falsum supponi: tamen exinde non-
dum sequitur sententia, quia Ioh. dicit, Christum abiisse *πέραν*
θαλάσσης. Nam semper dicendus est trans mare abiisse assu-
pta quacunq; alia vrbe cis mare sita; semper manet explicatio
postulata, vt *πέραν θαλάσσης* significet ab occidentali littore ver-
sus orientalem. Vt hac ergo ex causa nondum confectum sit, *Ca-*
pernaumum terminum a quo fuisse. Nec ex eo conficietur, quia
libenter et sapissime ibi commorabatur Christus, adeo, vt et vrbs
sua vocaretur. Nam exinde nondum patet, eo tempore ibi fuis-
se, quo naum conscendebat. Alii itaque terminum a quo con-
stituunt *Bethsaidam*. Sicut *Harmonia IV. Euangelistarum* CHE-
MNITIO-LYSERO-GERHARDIANA *Cap. 76.* quae hanc
ce addit rationem, quia non longe abfuerit a Tiberiade metropo-
li atque regia, vbi quoque Iohannes Baptista morte mulctatus sit,
et

et conuiuium natalitium celebratum, vt ergo facile Christus resciscere posset, quae regis et aulicorum de ipso sit sententia, quidque contra ipsum in aula ageretur; praeterea cum Christus in Bethsaida libenter versatus sit, nullum esse dubium, quin et ibidem discipulos post peractam legationem rursus congregauerit, quo et Iohannis discipuli peruenerint nunciantes. Sed quod ad primam attinet rationem, nondum confessum est atque conuictum, conuiuium natalitium et caedem Iohannis in Tiberiade peracta esse. IOSEPHVS enim *antiquit. Lib. XVIII. cap. 5. tom. I. p. 884. edit.* HAVERKAMPI Machaerunta nominat, quae est extremus Peraeae limes austrum, et sita est in confiniis Peraeae, Iudaeae et Arabiae, vti perspicere licet ex BERNHARDI LAMYI mappa in *apparatu suo ad Geographiam N. T.* Quodsi vero etiam concederetur, Tiberiadem locum fuisse mortis Iohannis conuiuiumque (vti facere quoque videretur LIGHTFOOTVS in *Hor. ebr. ad Matth. XIV.* et S. R. DEYLINGIUS *Obs. Sacr. P. III. pag. 264. seq.*) nondum tamen sequitur, quia Bethsaida non longe abfuit a Tiberiade, ergo Christus in ea fuit, antequam secessit trans mare Galilaeae. Nam aliae vrbes etiam erant vicinae, et cognoscere poterat in aliis vrbibus aequae iudicia aulicorum, ac in Bethsaida. Quod deinde ad alteram rationem attinet, vbi dicitur, libenter Christum in Bethsaida commoratum esse, hoc potius adfirmandum erit de Capernaumo. De neutra autem vrbe exinde valet conclusio, quia Christus in multis etiam aliis locis libenter versatus est.

Quodsi ergo dicendum, quod res est, claram atque perspicuam loci, ex quo secessit, determinationem reperisse mihi videor in Cap. VI. Iohannis comm. 1. vbi dicitur: Μετά πάντων απήλθεν ο Ιησους πέραν της θαλάσσης της Γαλιλαιας της Τιβεριάδος. Quod quidem vltimum nomen in genitiuo positum GROTIVS in *Comment. ad b. l. MARLORATVS in expositione N. T. catholica ad b. l. HAMMONDVS in annotat. ad N. T. LYSERVS et ALTHOFERVS in harmonia*, et quotquot euolui interpretes omnes explicant: *trans mare Galilaeae quod est vel vocatur mare Tiberiadis.* Iam quidem hoc probe noui, mare illud Galilaeae vocari etiam mare Tiberiadis, ab oppido Tiberiade

sid est Tiberias ex Iob. VI, 2.



VI

de insigni et splendido (de quo deinde dicemus.) Nec negauerim, variis insuper nominibus appellatum esse illud mare, vti patet ex SAM. BOCHARTI *Hierozoico* p. 41. qui simul de foecunditate huius lacus ratione piscium agit, et hunc locum Ioh. in denominationibus huius maris allegat; ex ADRIANO RELAN-DO in *Palaeestina sacr. pag. 258. seq.* qui antiquissimis temporibus **כנרת** **י** appellatum esse probat ex Num XXXIV, II, et Iof. XII. 3. Christi autem aetate nunc *Θάλασσαν Γαλιλαίας* nunc *Τιβεριάδος* nunc *ὕδατα Γέννησαρ* nunc *Γεννησαρίτιδα λίμνην* audiuisset testatur; Et CLAVDIVS SALMASIVS *ad Solinum edit. Traiect. pag. 408. et 433.* varia diuersae denominationis loca collegit ex PHILOSTORGIO, PTOLOMAEO, PAVSANIA, STEPHANO et aliis, vbi simul obseruat, ab ea parte, vbi lacus ille vel mare alluit Gennesaram, dici *λίμνην Γεννησαρίτιδα*, vbi vero attingit Tiberiadem, dici *Θάλασσαν τῆς Τιβεριάδος* (*Θάλασσαν* autem et *λίμνην* a sacris scriptoribus inter se commutari probat testimoniiis patrum SVICERVS *Thesauro eccles. tom. I. pag. 1336.*) At tamen nondum concedere possum duplicem huius maris denominationem simul occurrere, et quidem sine addita praepositione disiunctiua. Hoc enim et contra consuetudinem Historicorum, et contra loquendi vsum est. Quis enim nostrum diceret: *Lacus Austriae Amstelodami?* sufficit nominasse *lacum austrinum* s. belgica lingua *Zuder See*, non opus est mentione vrbis Amstelodami. Et si forte concederem, dari locos auctorum, quibus duplex denominatio simul occurrat, rarissimi tamen sunt, et nostro ex Iohanne loco plane dissimiles. Hic enim constructio verborum aliud quid iubet. Adest scilicet verbum compositum *ἀπέχεσθαι*, adeoque ellypsin praepositionis *ἀπό* ante nomen efficit, (nam verba composita regunt casum suarum praepositionum cum quibus compositae sunt) vt ergo idem sit ac dictum *ἀπό τῆς Τιβεριάδος*, vt hac ratione terminus, a quo nauigauerint, indicetur, et verba sic latine transferenda sint: *Postea abiit Iesus a Tiberiade trans mare Galilaeae.* Confirmor hac in explicatione frequentissimo vsu apud omnes fere historicos, qui locum a quo designantes vsurpant solum nominis genitiuum absque praepositione. Sic e. g. IOSEPHVS (vt vnicum tantum nomen) in *historie vitae suae tom. II. pag. 15.* *Ἐς Ταρχίους*

ἀρχέας, inquit, ἀπερχομένης με τῆς Τιβεριάδος ἀπερχέας
 στάδια τριάκοντα, *Taricheas proficiscente me a Tiberiade distitas
 inde stadiis triginta.* Ouum sane quo non similius est, quam ista
 Iosephi Iohannis scriptio. Adest enim profectio ad locum,
 adest terminus a quo, adest quoque verbum compositum cum
 praepositione ἀπό simili plane ratione, ac apud Iohannem. Et
 sic innumera exempla possem proferre, si res postularet. *Tibe-*
rias ergo fuit, qua Iesus soluit trans mare vehendus. Situm hu-
 ius Tiberiadis optime descripsit IOSEPHVS in *Hist. vitae suae*
tom. II. pag. 32. cui potissimum hac in re fides habenda est, quia
 ipsa eius patria fuit. Sic enim dicit: ἡ γὰρ σὴ πατρίς, ἢ Ἰβζε,
 κειμένη ἐν τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ (loquitur autem de Tiberiade)
 καὶ ἀπέχεται ἑπτὰ μὲν στάδια τριάκοντα, Γαδαίρων δὲ ἑξήκοντα,
 Σκυθοπόλεως δὲ ἑκοσι καὶ ἕκκοντα. *Patria enim tua, o Iuste, ad-*
iacet lacui Gennesaræ, et distat ab Hippo stadia triginta, a Ga-
daris autem sexaginta, et a Scythopoli centum et viginti stadia. Un-
 de colligi potest, inferius ad mare Galilæae in littore occidentali
 sitam esse, haud procul ab exitu Iordanis in mare Tiberiadis. No-
 men illud Tiberias imposuit vrbi splendidis antea aedificiis orna-
 tae *Herodes Tetrarcha* in honorem *Tiberii Caesaris*, cum antea se-
 cundum HIERONYMUM, EPIPHANIVM, aliosque, quos securus
 est etiam LYSERVS in *harmonia cap. 76.* Kinnereth dicta fue-
 rit; quod tamen exserte negat ADRIANVS RELANDVS in *Pa-*
laest. sacr. pag. 161. cuius argumenta heic exscribi non opus esse
 puto.

Propero potius ad definiendum terminum, ad quem per-
 venit Iesus. Ille quidem a Marco Cap. VI, 31. et Matth. XIV,
 13. ingenere vocatur desertus locus, a Luca vero Cap. IX, 10. *serta Bethsai-*
dae. Diuerfas in praesenti legen-
 di rationes, quae praesertim circa Marci locum videntur, non
 disquiram, lectum autem cupio ea de causa CALOVII *Bibl. illustr.*
ad h. l. qui GROTIUM Syrum sequentem castigat et ERASMI
 probat interpretationem. Hoc autem decidendum mihi sumam,
 quanam fuerint illa deserta Bethsaidae? Vocatur ab Evangelistis
 ἔρημος τόπος. Per illum autem non intelligunt locum prorsus
 ἀόικητον et ἀνάνθητον squalidam et ab omnibus hominibus de-
 sertam

eius situs et mo-
men.

Terminus ad
quem sunt de-
serta Bethsai-
dae.

eorum nomina
ingenere.

VIII

fertam solitudinem, sed locum tantummodo a frequentiori hominum strepitu et commercio remotum. Hoc sensu STRABO *Lib. XVI. Geographiae pag. 109. seq. edit. ab ALMELOVEN* Arabiam vocat ἐρημν, quae tamen hominibus et incolis plane non fuit deserta, licet rarioribus tantum habitata sit; et LXX. interpretes Ios. XV, 21. legunt ἰδὸν ἐρημον Ἐδῶν; Idumaea vero non omnibus hominibus fuit vacua, sed celebritate hominum tantum caruit. Legas praeterea EDVARD. LEIGHIUM *in critica sacra. N. T. pag. 279.* WOLFIVM *in curis philol. et crit. ad Marc. VI.* HACKSPANIVM *item in notis ad S. Evangelia pag. 13.* Et sic quoque de hoc nostro deserto scimus, non sterilem et squalidum locum, sed amoenum valde fuisse, ut patet ex Ioh. VI, 10. ubi dicitur ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. Quae quidem verba LAVR. RAMIREZ de PRADO *in Pentecontarcho Cap. 40. edit. Fabricianae pag. 239.* ita explicat: solitos esse Iudaeos villioris inprimis fortunae, Cophinum pro supellectili vna cum foeno secum portare, iussisse ergo Christum populum discumbere super foenum, quod quisque in Cophino suo supellectilis loco secum circumferret, quodque hucdum viride fuerit. Sed repugnat Iohanni ista explicatio, qui expresse dicit ἐν τῷ τόπῳ fuisse multum χόρτον. Ergo non demum allatus est ad illum locum a populo. Immo quid significet χόρτος hoc loco, cum alias modo gramen et herbam, modo foenum denotat (ut videbis ex LEIGHII *Critica Sacra. N. T. pag. 740.* ubi simul varias versiones huius loci deprehendes) quid, inquam, hoc loco denotet χόρτος, clarissime patere puto ex Marc. VI, 39. qui dicit χλωρὸν χόρτον. *Ast illud est virens gramen agro adhuc insitum, cum contra foenum sit abscessum et torrefactum gramen, ut bene obseruat GASAVBONVS in exercit. antibaron. pag. 305.* Ergo ingeniosa magis est RAMIREZII de PRADO, quam vera explicatio, licet illud non negauerim, Cophinum cum foeno portasse Iudaeos. Hoc enim ex Euangelistis non solum aliquo modo patet, qui κοφῖνους nominant, sed clare quoque asseritur a IUVVENALI *in satyr. 3. vers. 13.*
Nunc sacri fontis nemus, et delubra locantur
Iudaeis, quorum Cophinus foenumque supellex.
et satyr. 6. vers. 542. seq. quos legas velim apud ipsum. Neutiquam autem exinde confirmatur sententia, populum Iudaicum
χόρτον

χόρτον secum εἰς τὸν ἐρημον τόπον attulisse; χόρτος potius is-
que χλῶρος ibi erat πολὺς, adeoque desertus ille locus non
sterilis erat sed amoenissimus.

Nominatur autem discriminis causa ab aliis locis desertis
deserta Bethsaidae, ab vrbe illa, ad quam sita est, regio. *in specie ab ur-*
Vbi ergo sita est illa *Bethsaidae?* et vbi sunt *deserta Bethsaidae?* *be Bethsaidae.*
De vtraque quaestione difficilis facta est responsio. Nos ita-
que ad primam primum respondebimus. EPIPHANIVS
Libi II. aduersus haereses pag. 437. scribit, Bethsaidam et Ca-
pernaumum loca fuisse vicina: *ἐμμερῶν ὄντων τῶν τόπων τῶ-*
των τῶ διασήματι. Et ex Ioh. XII, 21. patet, fuisse in Ga-
lilaea, et quidem, vt in confessio est ex Marc. VI, 45. ad mare
Genesareth. Ergo collectis his dictis patet, *Bethsaidam sitam*
esse ad litus maris occidentale prope Capernaumum. Nomen,
vt videtur, accepit a piscatu, quasi צידי צרת chaldaico idio-
mate, quia multi ibi piscatores habitabant, vnde quoque Chri-
stus plurimos sibi elegit discipulos. WOLFIVS tamen *in cu-*
ris ad Marc. VI, 31. aliam denominandi rationem statuit: *Beth-*
saida. inquit, *i. e. domus venationis, quae a regione ferarum*
venationi apta, adeoque nemoribus siluisque umbrosa appellata
videtur. Verum vox illa ציד venationem ferarum pariter ac
piscium denotat, vti perspicere licet ex GUSSETII *commen-*
ting. ebr. sub. h. v. vt ergo perinde sit, vtram velis accipere de-
riuationem. Vocatur vero ab Euangelista *πόλις* cum tamen
κόμη tantum fuerit. Id quod non nullas versiones commouit
ad verba Lucae IX, 10. *πόλεως καλεμένης* plane omitienda,
vti coniectura assequitur DAN. WHITBIUS *in examine Mil-*
liano edit. min. HAVERCAMPPI pag. 176. Sed saepissime inter se
commutari has voces *κόμην* et *πόλιν* annotauit erudite RE-
LANDVS *Palaest. S. p. 654.* Hac itaque ratione nulla de situ
vrbis Bethsaidae desertique illius loci adesse videtur difficultas.
Sed mouit quam plurimas IOSEPHVS *antiq. Lib. XVIII. Cap.*
II. tom. I. p. 872. qui Bethsaidam collocat in *Gaulanitide* trans
mare in plaga orientali, vicum memorans *Bethsaidam ad lacum*
Genesariticum situm, inslauratum et ornatum a Philippo Te-
trarcha, qui eam Iuliam nuncupauit, in honorem Iuliae filiae Au-
gusti,

gusti (muro cinctam, vti obseruat *LYSERVS in Harmonia cap. 76. p. 136.*) Hinc quaestio oritur an *Bethsaidam* in N. T. dicta eadem illa a *IOSEPHO* descripta sit? *CELLARIUS in Geographia antiqua* teste *RELANDO l. c.* hancce vnam ex difficillimis putat quaestionibus. Nam quia *IOSEPHVS* dicit *Bethsaidam a Philippo Tetrarcha* instauratam esse, *Philippus* autem non erat Tetrarcha Galilaeae (nam ipse *IOSEPHVS* *Herodem antipam Tetrarcham Galilaeae* dixit, cuius quoque fidem in descripta *Herodiadum* Familia contra *HARDVINVM* vindicauit s. *R. DEYLINGIUS* *Obs. Sacr. P. II. obs. 26.*) sequitur exinde, urbem *Bethsaidam* non in Galilaea, sed in Tetrarchia *Philippi i. e. in Gaulanitide* sitam fuisse ad litus maris orientale. Quod tamen contra expressa verba *Ioh. supra citata*, qui in Galilaea sitam esse dicit. Ad difficultatem haecce tollendam statuerunt nonnulli, *Gaulanitidem* etiam dictam fuisse Galilaeam; sed accedimus potius ad *RELANDVM l. c. pag. 655.* qui credit, hoc facilius dictum, quam probatum esse. Itaque ipse mauiit duas statuere *Bethsaidas*, alteram in Galilaea cis mare in littore sc. occidentali, alteram vero in *Gaulanitide*, quae dicta sit *Iulias*. Sed quaeritur denouo, quaeenam *Bethsaidam* *Luc. IX.* intelligenda sit, in cuius deserta *Christus* transit? *LIGHTFOOTVS in Hor. Ebr. ad Matth. XIV.* assumit *IOSEPHI Bethsaidam*, et dicit *περαν τῆς θαλάσσης* proprie intelligendum esse a *Capernaumo* in desertum *Bethsaidae a Galilaea se. in Peraeam*, quod facere etiam *CASAVBONVS* apud *CAEOVIUM l. c.* mihi videtur, dum dicit, eremum vbi *Bethsaidae* ad latus fuisse; iam vero eremum collocat trans mare in orientali littore; Ergo urbem quoque *Bethsaidam* ibi collocet necesse est. Idem quoque facit *LAMYVS in Harmonia IV. Euangelistarum pag. 290.* quos sequitur tacite etiam *GROTIUS in comment. ad Iob. VI.* Sed vt taceam, *LIGHTFOOTVM* *IOSEPHVM* secuturum a *IOSEPHO* tamen aliquo modo recessisse, dum collocat *Bethsaidam* in *Peraea*, quae tamen eadem est, ac regio *περαν τῆς θαλάσσης*, et longe inferior sita, quam *Gaulanitis* regio, vti patet ex ipsa *IOSEPHI descriptione Lib. III. de bello Cap. III. tom. II. pag. 22. ἡ Περαία δὲ πολλὰ μείζων*

quae non est
ad litus maris
orientale in
Gaulanitide

sed ad occi-
dentale in Ga-
lilaea.

ζων κ. τ. λ. (vbi de eius fertilitate plura dicit) pergir deinde
 μήκος μὲν ἐν αὐτῆς ἀπὸ Μαχαερέντος εἰς Πέλλαν, εὐρὸς δὲ
 ἀπὸ Φιλαδελφείας μέχρις Ἰορδάνης καὶ Πέλλης μὲν, ἢ προσηρή-
 καμεν, τὰ πρὸς ἀρκυτον ὀρίζεται, τὰ πρὸς ἐσπέραν δὲ Ἰερδα-
 νῆ, μεσημβρινὸν δὲ αὐτῆς πέρασ ἡ Μοαβίτις, καὶ πρὸς ἀνα-
 τολὴν Ἀραβία τε, καὶ Σιμωνίτιδι, πρὸς δὲ Φιλαδελφινῆ, καὶ
 Γεράσους ἀποτεμνεται. *longitudo eius est a Machaerunte in Pel-
 liam, latitudo vero a Philadelphia usque ad Iordanem: Et Pella
 quidem, quam supra diximus, septentrionalis eius terminus est,
 occidentius vero Iordanes, meridianus autem Moabitis regio,
 ab oriente autem Arabia, et Silbonitide, nec non Philadel-
 phia, itemque Gerasis clauditur.* Vt ergo, si vel maxime Beth-
 saidam trans mare collocarem, tamen non posset esse in Peraea,
 nisi latissimo sensu intellecta. Sed, vt taceam ea, ipsum adser-
 tum de Bethsaida verum esse non potest. Nam *Philippus Tetra-*
rarcha illi nouum nomen imposuit, vt dicta sit *Iulias*. Iam ve-
 ro ille *Philippus* tetrarchiam multo obtinuit ante, quam Christus
 munus publicum suum inciperet, quod euictum dedit *HVMFR.*
PRIDEAUX in connexione edit. germ. tom. II. pag. 793. et
 alii, quos breuitatis causa taceo. Ergo eo tempore dicta iam
 fuit *Iulias*. Ergo, quando in Euangelistis nominatur *Bethsai-*
da, non potest esse illa in *Gaulanitide*. Nam sic non amplius
 dicebatur, et Christus et Apostoli eodem nomine, quo gau-
 debant vrbes, ipsas quoque nominauerunt, vt exemplo *Tibe-*
riadis clarum est, quae in *N. T.* nunquam obsoleto nomine,
 sed semper nouo suo appellatur *Tiberiadis*, adeoque etiam re-
 cte sic colligitur de *Iuliade*. Ergo in *Euangelistis* semper in-
 telligenda est *Bethsaida in Galitaea*. Vti scite demonstrauit
CELLARIUS in notitia orbis antiqui apud RELANDVM pag.
65. Ergo sic quoque apud *Lucam*. Ad quod insuper de-
 monstrandum argumentum inuenisse mihi videor in ipsis *Lū-*
cae verbis: *εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλεμένης Βηθσαϊδῆ.*
 Quod quidem epitheton *καλεμένης* diacriticum esse puto, vr-
 bis sc. quae in praesenti adhuc vocatur *Bethsaida* in oppositio-
 ne ad illam, quae olim sic dicta fuit, *Iuliadem*.

POB



*Desertorum
Bethsaidae s-
tus.*

*non est prope
Iuliada Gau-
lanitidis.*

Eiusto ergo urbis Bethsaidae situ, nunc de desertis Bethsaidae quaerendum est, quia nondum constat, an nomen suum a veteri illa Bethsaida trans mare, an potius a Bethsaida Evangelistarum cis mare traxerint. B. CHEMNITIVS et LYSE- RVS *l.c.* illa collocant e regione Bethsaidae Galilaeae prope Iuliada, quae vetustum nomen retinuisse putant. Et IOH. BOISIVS in collatione veteris interpretis cum Beza aliisque recentioribus in IV. Evangelii et Actis Apostol. pag. 116. (cuius opinionem, quoniam non in omnium manibus est liber, legas velim apud WOLFIVM in curis ad Marc. VI. 45.) deserta Bethsaidae ita ponit, vt inter illa et Bethsaidam mare Galilaeae, quam latum est, intercedat, adeoque eiusdem cum LYSERO est sententiae. Quem situm quoque mappae vulgares geographicae expresserunt. Argumenta omnium eorum, qui vel ipsam urbem et deserta Bethsaidae simul, vel deserta solum in littore orientali collocant, potissimum duo sunt: primum vrgent significationem voculae πέραν apud Ioh. VI. quam dicunt talem habere, vt denotet transuersionem in vltiorem ripam, adeoque, cum Christus fuerit in ripa citeriori s. occidentali, naui illum profectum esse in vltiorem s. orientalem ripam in deserta Bethsaidae. Sed falsam hanc esse significationem, patet ex LEIGHII *Critica Sacr. pag. 528.* qui multis exemplis et auctoribus probauit, πέραν quamcunque traiectionem aquarum denotare, siue illa fiat in vltius littus, siue in citerius, siue in oppositam plagam transuerso flumine, siue ad eandem plagam sinu tantum quodam traiecto. Deinde prouocant ad illa, quae Marcus post hanc cibationem miram narrat Cap. VI. 45. καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τὸς μαθητὰς αὐτῆ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαιδᾶν, ἕως αὐτὸς ἀπολύσῃ τὸν ὄχλον. Vbi sic concludunt, si deserta fuissent apud Bethsaidam, Christus peracta, vt cum vulgo loquar, miraculosa cibatione non potuit nauibus ire πέραν ad Bethsaidam; sed hoc fecit, ergo deserta non sunt apud Bethsaidam. Haec vero cum sita sit in Galilaea, deserta sita sunt e regione prope veterem Bethsaidam nunc Iuliada dictam. Respondemus, non sequi, si deserta fuissent apud Bethsaidam, Christus nauibus ire non

Ende

B

non

non poterat ad Bethsaidam, nam potuit sinus interfluere, quem traiciebant; nec sequi, quia non apud Bethsaidam, ergo e regione, nam haec conclusio nimitur falsa explicatione vocolae πέραν. Interim tamen fateor, haec Marci verba, si cum reliquis Evangelistis comparentur, non parum continere difficultatis, quam in praesenti excutere operae pretium puto. Scilicet Marcus dicit, soluisse eis τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάς, et Ioh. VI, 17. εἰς Κοπερναῦν, Matth. XIV, 34. autem εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ. Ad quae concilianda interpretes semper recurrunt ad situm Bethsaidae et desertorum Bethsaidae oppositum. MARLORATVS in expositione N. T. catholica ad h. l. putat; *Marcum aut loqui de loco, quo Christus ante traictum lacum fuerit; aut desertum Bethsaidae in opposita parte fuisse.* LAMIVS in Harmonia pag. 290. deserta et urbem Bethsaidae in vltiori ripa s. orientali collocans praepositionem πρὸς explicat per *apud*, et constituit Bethsaidam terminum a quo soluerint. Sed conciliari commode possunt, etiamsi deserta Bethsaidae pariter ac vrbs Bethl. in vno tractu cis mare collocentur. Scilicet deserta inter Bethsaidam et Tiberiadem sita esse infra clarius patebit. Hinc ita colligo, Christum iussisse discipulos nauī ire in Bethsaidam solos, vsque dum ipse terra ad eos veniret dimissis populis et precibus factis, ex qua deinde simul nauī proficisci volebant Capernaumum. Sic ergo Iohannes terminum nauigationis vltimum, quo omnes tendebant, describit, quamuis dicat ἤρχοντο, nam verba actum denotantia saepe de conatu explicanda sunt secundum GLASSIVM *Phil. sacr. p. 766. edit. Buddei.* Et Marcus describit terminum, quo soli Apostoli ire iussi erant, antequam vna cum Christo Capernaumum proficiscerentur. Sed dum soluerunt, tempestas orta est, cum non longe a littore abissent, qua lati sunt in terram Genesareth, de qua Matthaeus dicit. Ex Genesareth deinde postero die vna cum Iesu, qui mare perambulans ad ipsos venerat, Capernaumum profecti sunt, vti patet ex Ioh. VI, 22. 24. Sic omnia prona fluunt, sic nulla vis verbis infertur, sic ob huncce Marci locum non opus est, deserta Bethsaidae in opposito loco quaerere.

Sed prope
Bethsaidam
Galilaeae.

et accuratius
Bethsaidam
inter et Tibe-
riadem.


Quare CALVINVS et qui ipsum sequuntur, teste LYSERO in *harmonia Cap. 76. pag. 156.* figunt deserta haec in eodem littore maris cum ipsa vrbe Bethsaida, occidentali nimirum. Sed nondum determinant situm accurate referendo ad alias vrbes. Accuratius itaque situm illius desertae regionis determinari posse autumo ex Ioh. VI, 23. vbi dicitur, venisse naues ἐν Τιβεριάδος ἐγγυς τῆ τόπῃ, ὅπῃ ἔφαγον τὸν ἄρτον. Ex quo patet, primum quidem, deserta Bethsaidae, quibus commederant panem, in eodem tractu sita fuisse, quo Tiberias, adeoque cis mare ad littus occidentale; deinde quoque non longe abfuisse a Tiberiade. Nec longe absuit a Bethsaida, vnde nomen sortitum est; et in N. T. semper Bethsaida cis mare intelligenda est. Ergo concludo exinde, *inter Bethsaidam et Tiberiadem sita fuisse deserta Bethsaidae.* Ergo verba Iohannis πέραν θαλάσσης ita explicanda sunt, vt a littore Tiberiadis mari traiecerint ad littus desertorum Bethsaidae, siue per interfluentem aliquem maris sinum, vti CALVINVS apud LYSERVVM *l. c.* et ALTHOFERVS in *harmonia pag. 678.* existimant, siue per nullum, tamen erit trans mare. Et hac ratione commode quoque potest explicari, quod turba Christum secuta sit πέραν Matth. XIV, 13. Quam quidem vocem patroni prioris de desertis Bethsaidae sententiae explicant de pedestri itinere in oppositione ad equos vel currus, et dicunt, turbam Iordanem transiisse vel per pontem vel transuadendo, vt ex occidentali plaga in orientalem venire potuerint. Sed si vel maxime hanc significationem vocis πέραν concederemus, quod tamen nondum possumus, magna sane maneret difficultas, quomodo scilicet dici possit Marc. VI, 33. καὶ προῆλθον αὐτῆς (de quibus verbis, quod ad variam lectionem attinet, vide MILLIVM et PFAFFIVM in *var. lect. N. T.* refutatos a WHITBIO in *Examine lect. var. MILLII edit. min. pag. 164.* et GROTIVM a CALOVIO quoque castigatum) Euietum enim est supra, terminum a quo fuisse Tiberiadem. Si ergo deserta trans mare prope Iuliada sita sunt, non concipi potest, quomodo turba pedibus itinere confecto ad illum ipsum locum prior venire potuerit, quam Christus
naui,

naui, cum tamen distantia ab vno littore ad alterum naui absol-
uenda ad distantiam a Tiberiade ad deserta Bethsáidæ terra
emetiendam se habeat circiter vt 1. ad 30 Ergo ter citius cur-
rere debuerunt, quam nauis. Quod concipi vix potest. Ex
nostra vero situs desertorum et vrbs expositione facile perue-
nire poterant terra, quia naui per ambages vehi poterant. Ac-
cedit, quod multi etiam claudi, caeci, infirmi in turba fuerint,
qui iter pedestre facere non poterant. Ergo patet exinde,
melius explicari de itinere terrestri in oppositione ad vndas et
transfretationes, vt quoque Syrus expressit: *abierunt post eum
per aridam.* Ergo ex hac quoque significatione destruitur
prior de situ desertorum Bethsáidæ sententia, et nostra confir-
matur. Confer interea de hac voce $\pi\epsilon\sigma\eta$ ALTHOFERVM in
harmonia pag. 681. qui ex PLATONE significationes adducit,
HEVPELII *Euangelium Marci illustratum ad Marc. VI. 33.*
qui negat contra HENR. STEPHANVM in *thesauro*, quod
sit aduerbium, et probat ex THVCYDIDE, quod sit adiecti-
uum; IO. BVXTORFIVM in *catalæctis philologico-theologicis*
pag. 164. et LEIGHII *crit. sacr. in N. T. pag. 523.*

Haec itaque funto, quibus *situm desertorum Bethsáidæ*
ex Euangelistis determinare conatus sum. Et haecce quoque
funto, quae in vestrum, VIRI CLARISSIMI, honorem
scribere debui, volui. VOS, qui MAGISTRI nomen et
omen simul, honoresque in philosophia summos dudum pro-
meritos, libenter oblatos, dignissime accepistis, VOS, in-
quam, de hacce mea tenui admodum scriptione iudicare po-
testis optime. Quae quidem, si VESTRA eruditione di-
gna non est, ideo tamen, precor, mihi ne succenseatis, iudi-
cantes, voluntatem saltem adesse, si desunt vires. Voluntas
enim erga VOS nostra publice erat declaranda, eaque lite-
ris. Litteras ergo *Collegii nostri nomine* VOBIS debitas in
chartam conieci. Studia nobiscum huc vsque tractastis paria,
amicium autem omni expectatione exhibuistis maiorem. Cum
sacris quoque ea coniunxistis, quae ad humanam spectant eru-
ditionem. Et sic VOBIS nos totos magni VOS facientes
coniun-

XVI

coniunxistis. Nos semper, sicut amici solent peramanter tractastis. Aequum ergo est, ut et parem VOBIS omnibus referamus gratiam. Omne autem, quod VOBIS exhibeamus, bonum cum votis tantummodo absoluat, vota iam nuncupemus necesse est. Faxit ergo DEVS, ut et animi hilaritas et corporis VOBIS continua semper concedatur sanitas. Faxit, ut honoribus VOBIS iam collatis iucundissime perfruari. Faxit denique, ut noua semper honorum capiatis incrementa. Secundet eum in finem studia VESTRA DEVS. Adspiret omnibus conatibus VESTRIS. Et ad felicissimum VOS omnes finem pertingere sinat atque iubeat. Vnicum illud, ne mutatis aliquando honoribus VESTRAM erga nos voluntatem immutetis, rogamus. Nos enim VOBIS semper habebitis obstrictissimos.



ad 2.

00 A 6426


ULB Halle
002 927 322
ULB Sachsen-Anhalt
Kupferstichkabinett



Datum: 2008 sb.


l WDA 2





DISS
TH
.....
.....





SITVS DESERTORVM BETHSAIDAE
EX EVANGELISTIS
ALITER, QVAM VVLGO, DETERMINATVS

AD
VIROS
CLARISSIMOS DOCTISSIMOSQVE
IOHANNEM GODOFREDVM
STRAVSSIVM
PHILOS. BACCAL. ET S. THEOL. CVLT.
GOTTLIEB ROBSTIVM
S. THEOL. CVLT.
IOHANNEM CHRISTOPHORVM
HEINIUM
S. THEOL. CVLT.
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN ACADEMIA LIPSIENSI
D. VIII. FEBR. A. R. S. MDCCXLII.
DIGNISSIME CAPESENTES
AVCTORITATE
COLLEGI EXAMINATORIO-DISPVTATORII
DEYLINGIANI

AVCTORE
M. CHRISTIANO SAMVELE FORBIGERO
S. THEOL. CVLT.

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.